

Landgraf Hermann bestätigt dem Kloster St. Nicolai zu Eisenach mehrere Besitzungen.

1197 [vor Ende März].

Hdschr.: Or. Perg. Geh. Haupt- und Staatsarchiv Weimar. S. an Hanfschnur = Taf. XI, 4. Phot. H. St. A.

5 *Gedr.: Schulmacher, Verm. Nachr. Samml. 6, 51.*

Ann.: Vor Ende März geht Hermann nach Palästina. Vergl. Knochenhauer, Gesch. Thür. 239.

In nomine sancte et individue trinitatis. Herimannus dei gracia Turingie lantgravius Saxonie comes palatinus universis: | deum diligentibus in domino salutem et veram pacem. Nostre et antecessorum successorumque saluti et utilitati pauperum
 10 Christi consulere volentes significamus tam presentis quam | future etatis hominibus, quod frater noster et in principatu provincialis comicie antecessor lantgravius pro remedio anime sue suorumque parrogiam ecclesie sancti Nykolai in Ysnaicho famulabus Christi ad edificandum ibi claustrum et sub regula habitandum legitime et racionabiliter nullo contradicente donavit, ius et usum parrogie eidem monialium conventui dimisit, eidem eciam
 15 conventui molendinum in Haddenhusen perpetuo iure adtribuit, terram eciam in Heienrod totam cultam et incultam decem et septem mansos habentem et silvam, que protendit per stratam Uoldensem usque in campum Muosbach a monte Regerberch, qui mons in ipsis terminis totus est, eidem conventui proprietatis iure delegavit. Mater eciam nostra domina Iudita unum mansum in Graueslebe talentum et triginta denarios annuatim sol-
 20 ventem proprietati predicti conventus nostro consensu contulit. Ipse autem dominarum conventus in predicta ecclesia stabilitus curiam in Veld cum quindecim mans[i]s^a) a bonorum hominum adiutorio pro quadraginta marcis sibi comparavit. Insuper duos mansos eidem curie in Ueld et eius mansis adiacentes a quodam Fridelao de Mulchusen iusto eorundem mansorum possessore quodam concambio sibi acquisivit unum mansum in
 25 Apelstethe iacentem pro duobus supra dictis curie in Veld adiacentibus cambiens. Quidam autem Gerhardus, qui cognominabatur Cvrff, in bonis predictę curie in Veld sibi ius addicens eundem conventum in causam traxit, sed tandem consilio Guntheri dapiferi nostri terciam dimidiam marcam, ut ipse et heredes sui ab omni predictorum bonorum impetitione cessaret, terciam dimidiam marcam a predicto conventu accepit. Nos autem pro
 30 importunitate rerum et temporum possessiones pauperum Christi, ut vellemus et deberemus, multiplicare non valentes hec omnia predicto monialium conventui tam racionabiliter collata et conquisita nostre ratihabitionis auctoritate perpetuo et irrefragabili iure ei adpropriavimus et presentis scripti testimonio et sigilli nostri impressione huius rei veritatem et nostram ratihabitionem roboramus, rogantes affectuose omnes Christi fideles et omnibus
 35 nostris hominibus et ministerialibus et quibuslibet iuridictioni nostre subditis sub obtentu gracie et amicitie dei et nostre precipientes, ne quis eundem conventum in omnibus his aliquo modo gravare presumat, quia ratione advocatie et iuridictionis nostre tutoris et procurationis officium super predictam ecclesiam et conventum monialium gerentes non minus pro eius quam pro nostra dolebimus iniuria. Datum anno dominice incarnationis
 40 millesimo centesimo nonagesimo vii.